Q. D. O. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO AVGVSTO,

PRINCIPE REGIO ET ELECT. SAX. HEREDE,

ETCETERA.

DISPVTATIONE PRIMA

EXISTENTIAM SPECTRORVM,

praesertim

ex

Sagarum veneficarumque pactis cum Diabolo sancitis,

Benevolo Facultatis Philosophicae indultu

demonstrabit

PRAESES

M. GVSTAV. FRIDER. PISTORI,

END. SAXO.

et

RESPONDENS


IO. GERHARDVS Wagendarm/

LVBECENSIS.

Horis consvetis

In Auditorio Minori.

VITEMBERGAE, Praelo CHRISTIANI GERDESII.



J. N. J. C. A.

Qvod DEVS felix faustumqve esse jubeat.

PROEMIVM.

Extra dubium nonnullis positum est, multique mortalium affirmant, spiritus dari, et ab omnipotenti conditore coeli ac terrae creatos productosque istos esse, ille vero qui negat Spiritus, animam suam propriam nescit, hac in re *Excell. Scharffium lib. III. Pnev. cap. I.* consentientem habeo. Ita enim loco citato ait: *esse Spiritus dependentes a Deo creatos extra dubium est, nec ab ullo perito negari Spiritus possunt, nisi quis propriam suam qua regitur animam ignoret.* Testatur et hoc, quod Spiritus sint, Isiodorus lib. I. cap. XXV. de summo bono, et Augustinus lib. 4. super Gen. C. 24. Arduam autem maximi summique momenti esse materiam existimo, quam in praesenti dissertatione tractandam mecum constitui, multi enim affirmativam, non pauci e contrario negativam amplectuntur sententiam. At enimvero non eam ob causam arduam hanc appello materiam, quin nimirum existentia spectrorum claris firmisque argumentis demonstrari arguique possit, sed potius ob hominum quorundam pertinaciam; hac dum permoti, mente praefracta et obstinata id saepius, quod sole meridiano clarius negant ac pernegant, imo plane e medio tollere ac removere student. Hoc quoque jamjam ante nostra tempora factum esse, ex scriptis multorum apparet. Sienim veterum evolvo historias, sane obstupesco, animusque terrore afficitur, cum in his multi repetiuntur, qui spectra vel Spiritus omnino negant, nonnulli vero spectra morbos inconsvetos affectusque pravos denotare autumant. Theodorus Bysantius, totaque Schola Epicureorum primam tuebantur sententiam. Hi enim omnibus rationibus probare conati sunt, Spectrum vel Spiritum nunquam sapientis cujusdam fuisse objectum, argumentique loco adduxerunt: si apparuisset spectrum aliquod, vel pueri, vel mulieres vecordes, vel aegroti auctores assertatoresque hujus apparationis fuissent. *vid. Plutarch. in Dione. item Nicol. Remigius in daemonolat. lib. 1. cap. XXVIII.* Huic

etiam opinioni calculum adjecerunt ReginalScott, Hobbesius, et Osborn, qui asseruerunt, Spiritus tantummodo esse somnia et phantasmata ingeniorum simplicium et imperitorum. *vid. Praefat. Joseph. Glangvil. tractatui Saducis. triumphat. praefixa.* Enimvero haec probationis loco adducta assertio quam facillime infringi potest, si ipsis e contrario opponuntur ejusmodi exempla, quae probant quod scil. daemones vel Spectra quoque a viris summa eruditione, maximaque sapientia et prudentia praeditis visa fuerint. Vt vero verbis meis fidem faciam, unicum tantum adducam exemplum : Philippus Bruto apparuit Athenis etiam philosopho Athenodoro ; Curtio Ruffio in Africa, Romae Senatui universo *test. Plin. II. epistol. lib. VII. ep.* 27. ex quibus liquet, eorum sententiam esse rejiciendam. Illi vero, qui alteram defendere opinionem non erubescunt, quod nempe per Spectra non intelligantur Spiritus mali, sed illa potius denotare morbos inconsvetos ac affectus malos, qui difficili negotio curari et repelli possent, sunt Judaei, una cum Sadducaeis, item Democritus, Averroes, totaque Secta Peripateticorum. At vanam hanc esse sententiam, hancque nullum in re habere fundamentum, quilibet rationis compos perspicue intelligit ac percipit. Permulti enim ex ipsis Judaeis Sapientibus meam apprehendunt thesin, in quorum numero sunt, Rabbi Eliazar, R. Saadias et multi alii. Quod itaque Spectra neque morbos inconsvetos, neque affectus malos denotent, sequens porro probabit exemplum. Marcus Ruffus Senator, postquam vitam morte commutasset, eodem, quo vivens solebat loco, sed mutus silensque visus est. *vid. Nicl. Remigius lib.* 1. *daemonolat. cap. XXVIII.* Multa plura aliaque in medium proferre possem exempla, quibus sententiam meam corroborare valerem, sed brevitati operam navans, potius ejusmodi exempla silentio praeterire, meque ad propositum meum accingere cupio.

THES. I.

Manifestum et in aprico apud omnes Christianae fidei deditos non solum, sed apud prudentes quoque Judaeos gentilesque est, revera in rerum natura esse Spectra, et licet hac de materia adhuc hodie in utramque disputetur partem: plurimi tamen sapientissimique meae potius affirmativae nimirum subscribunt sententiae. Negantes enim existentiam spectrorum, gratissimum jucundissimumque principi tenebrarum praestant officium. Hic enim totius generis humani infensissimus hostis omnia argumenta, quibus ipsius existentia probari potest, illis falsa esse persvadet ; huic quoque si modo flagitia peccataque vitamus, a Deo non permittitur, cuiquam injungere detrimenta damnaque. Igitur id, quod vi minime impetrare posset, astutia et calliditate consequi studet ; quaelibet vero astutia si exoptatus expectandus est eventus, tanquam necessarium reqvisitum simulationem postulat, cumque huic callidissimo Spiritui notum perspectum-

ctumque sit, maximo sibi fore commodo, si mortalibus persvadere posset, se nunquam fuisse, nec esse in rerum natura. Eam igitur ob caussam omnia ejusmodi argumenta e medio tollere conatur, quibus scilicet ipsius existentia clare ac perspicue demonstrari potest.

THES. II.

Apparitiones itaque Spectrorum calladissimam esse diaboli inventionem puto. Nam quamquam nobis, nostroque intellectui finis illius apparitionis ignotus: hunc tamen certum quendam intendere scopum certum est: ordine igitur mihi procedendum erit, primoque loco hujus vocis origo attendenda venit. Quoniam vero haec cuivis fere obvia et nota fuerit, hac etiam de re *Gerhardus Joh. Vossius* prolixe tractat *in etymol. sub voce specio*, item *Becmannus de origine latin. ling. pag. m.* 1074. hanc demonstrat, ad citatos auctores B. L. remittere satius esse duxi. Spectra vero sunt nihil aliud, quam ipsi diaboli s. Spiritus maligni, vel apparentes in certo quodam assumto vel condensato ex quadam materia corpore, hominibus sapientibus et ratione praeditis, non vero tantum pueris insipientibus, ac vecordibus mulieribus, vel non apparentes; attamen ut Spiritus praesentes, aut homines terrendi, aut nocendi causa, aut loca, aedificia, solitudinesque infestantes, pro modo omnino divinae permissionis. Ex hac itaque descriptione facile colligere quilibet poterit, quod hac in dissertatione, de apparitionibus malorum, non vero bonorum spirituum tractetur. Judaei ut supra vidimus, nempe R. Eliazer et R. Saadias concedunt esse spectra et apparitiones daemonum. Caeterum quod spectra sint, probant etiam gentiles, et quidem illi, qui in Arabia vitam degunt. Hi enim Spectra nominant, semihomines, ac daemones testantur, ut quidam autores, qui vero plura de his opinionibus scire desiderat adeat ipsos auctores qui hac de materia scripserunt. Apparet quoque, quod bonis angelis vel Spiritibus secundum omnium opinionem minime illud vocabulum Latinum spectrum tribui potest, nec Graecum φάντασμα, nec Germanicum ein Gespenst, proprie et accurate loquendo, *vid. Magnif. Dn. D. Strykius de jure spectr. pag.* 6. §. 2. Ideo operae pretium minime esse puto, plura hac de re in medium proferre; actum enim agerem, si apponerem id, quod in tam multis auctoribus reperire quilibet facili negotio poterit.

THES. III.

Si historias et sacras et profanas perlego, saepius mihi occurrit, quod spiritus mali varie distingvantur; qui vero minime ob unam eandemque prorsus naturam distingvendi sunt, hoc factum esse puto propter varios apparendi modos, ob varias in se assumtas figuras, de quibus postea ipsis nomina fuerint indita. Sunt enim spectra, quae domestica nominantur, ab antiquis vero lares vocabantur. *vid. Horat. lib.* I. *Sat. V. et Lampr. in Alexandro Severo,* item lemures, spectra scil. et larvae nocturnae, quales etiam apparebant Romulo post mortem

tem Remi quem interfecerat, vel interfici jusserat, Haus-Götter Germanice appellantur. Spectra vero illa, quae in fluviis videntur nymphae scil. (nymphas antiqui aquarum deas esse putaverunt, *teste Isidoro*) Wasser-Frauen/ Nixe. Haec, quae in aëre apparent, draco volans, der Drache / licet quidem fateor, quandoque esse naturale quid, ac meteoron quoddam ignitum: omnes tamen, qui spectra credunt, uno ore affirmant, diabolum cum his meteoris illudere et nocere hominibus. Hinc aliquos esse permotos scio, ut statuant, naturalibus causis id tribuendum esse, quod de spectris dicatur, quod tamen falsum, speciem quidem veri habet, sed ipsis opponi possunt verba *B. Arndii Concion. 3. in Psal. XCI.* Der Satan mischet sich offt in natürliche Wirckungen mit ein / denn er siehet immer wie er der Natur brauchen möge/ zu seinen Vortheil/ daß er sein Werck mit durch treibe. De faunis ac satyris vulgo Wald-Teuffeln passim et in profanis historiis multa reperiuntur. Porro qui in metalli fodinis laboraverunt, et adhuc hodie laborant, multa de daemone metallico referre solent (Berg-Männergen) *vid. de his Casp. Posneri tractatus de virgis metallicis.* Multasque plures ejusmodi apparendi modos, quibus diabolus utitur, afferre possem, hac vero de re summo cum fructu legi possunt: *Fromannus de fascinat. lib. III. part. VII. cap. II. §. 2. Bodinus daemon. pag. 37. item Becmannus de origine t. l. pag. 504. item Magnif. Dn. D. Strykius in dissert. de Jure Spectrorum pag. 7. §. 3.*

THES. IV.

Ex superiori itaque thesi apparet, diabolum omnino visibili ratione apparere, uti et hoc meam opinionem firmam reddunt antiqui scriptores. Hi enim perspicua et clara in medium afferunt exempla, nempe *Liv. lib. VIII. cap. VI. pag. m. 291. item lib. XXI. cap. XXII. pag. m. 412. item Plin. II. lib. VII. ep. XXVII. ad Suram.* Ex descriptione quam §. 2. nost. dissert. dedimus videndum porro est, invisibiliter quoque Spiritus malignos seu daemones hominibus praesentes esse, ita enim ibi dicitur: esse etiam non apparentes attamen, ut Spiritus praesentes. Hac vero ratione Satanam praesentem et quidem invisibiliter puto, cum ille tumultus excitat, summa omnes qui tota domo vel ubi sit reperiuntur afficit molestia, vehementi ac plane inaudito mugitu homines terret, vel domesticis terrorem injicit summum, vel pulsando, tumultuando, vel aliis incommodis, quae verbis satis exprimi nequeunt, iis molestus est. *vid. Joseph. Glangvil.* in seiner Gespenst Historie *pag. 9. 10. seqq. it. Carol. memorabl. eccles. Sec. XVII. lib. I. cap. XXVIII. pag. m. 96.* Spiritus malus imo et quidem se invisibiliter praesentem esse demonstrat, cum scil. omnem fere supellectilem subvertit, omneque damnum infert, horrendos sonos, pulsus, et voces intolerabiles edit, ut ita non de praesentia Spectri et daemonis dubitare possimus. Reperiuntur quidam, qui asserunt, meridiano etiam tempore apparere Spectra, an vero horum sententia vera sit meum suspendo judicium.

Commu-

Communis vero sententia est, nocturno tempore principem tenebrarum apparere, probabilisque haec est opinio, hoc enim tempus aptissimum horrorisque plenum, et igitur nox merito filia horroris et metus nominanda. Hoc itaque tempore suas larvas monstrosas, horridas et furiales demonstrat, metusque tunc augetur. vid. *Helmont. tract. XXII. de ortu formarum edit. German. pag.* 184. *N.* 53. Metus enim, et anxietas nostra daemonis gaudium, lamentatio nostra ipsius laetitia, ejulatus noster, nostraeque lacrymae ipsius risus et voluptates. *vid. Eras. Francis. pag.* 150. in seiner Schau-Bühne.

THES. V.

Optime notum perspectumque mihi est, quosdam reperiri qui existentiam Spectrorum negent, omniaque, quae a me in thesibus antecedentibus adducta fuerant, figmenta esse somniant; Tales vero omnes esse ex Schola Epicureorum et Atheorum arbitror, interque hos praecipue numerandus D. Balthasar Beckerus a nonnullis alias doctis viris defensus, hic enim *in tractatu suo German.* die bezauberte Welt/ *lib. II. cap. VIII.* §. 2. expresse dicit: *Frustraneum quoddam factum esse, fidei articulum de angelis ex sacra scriptura probare, vel componere, in quo doceatur, quid proprie angeli seu Spiritus sint? ad quodnam opus a Deo conditi? quid etiam agant?* his verbis confutare auctoritatem scripturae audet. Omnis itaque sanae mentis doctrinaeque Christianae principiis imbutus nunquam hujus approbabit sententiam improbam. De hujus libro Vir illustris Dn. D. Stryckius, optimum notatuque dignum sequens fert judicium *in Disp. de Jure Spectrorum: Scatet sane ille liber infinitis contorsionibus, fallaciis, hypothesibus, nec dimittit lectorem nisi haesitantem, et dubium.* Hic quoque *Petri Poiret* sententia apponi posset, hanc vero ob angustiam loci allegare nequeo, eam ideo silentio praeteream, ad ipsumque auctorem B. L. remittam. Mecum porro, quod Beckeri sententia falsa sit, consentiunt: *Jean van der Weyn, P. Poirettus, Joseph. Glanguil in Saduceis: triumph. Beeren in libro, quem nominat* dreyfache Welt/ *Pet. Goldschmid.* in Höllischen *Morpheus, Theol. Lubec. Pfeiffer. in tract.* Streit des Fleisches und des Geistes.

THES. VI.

Pleraque autem, quae de Spectris dicuntur, non fabulae vetularum vel monachorum, sed certissima potius sunt Concedo quidem libentissime, multa olim fuisse figmenta monachorum, hi enim dum ipsimet saepenumero Spectra praesentarent, hac re effecerunt, ut tunc temporis valde dubitatum fuerit de illorum existentia *vid. Jul. Caes. Capaccius apud Dn. Clementem Weigelium* in seinem Entwurff des Italiänischen Paradieses. His argumentis et similibus nullius plane momenti fidem adhibent ejusmodi homines, hisque permoti negant existentiam Spectrorum. Rejicienda itidem eorum est sententia, qui

natura-

naturalibus rebus tribuere volunt, quod alias de Spectris dicitur. Hic enim, non ejusmodi figmenta monachorum, mortuorum falsae productiones seu animarum hominum mortuorum apparitiones intelliguntur, sed mihi potius hic loci sermo est de malis spiritibus ipsis. Certissimum quidem est, monachos falsis figmentis saepissime persvasisse hominibus, mortuorum animas iterum rediisse, quod tamen falsissimum. Assentit hoc in negotio mihi *Magnif. Stryckius pag. 9. Disp. de Jure Spectror. Lutherus quoque ille Megalander id disertis verbis testatur Tom. V. Germ. Jen. tract.* des Feg-Feuers Widerruff *fol.* 168. *ita enim loquitur :* S. Gregorius zeiget an viel Exempel von Geistern die erschienen/ welchen er als ein einfältiger guter Mann geglaubet/ als wärens Seelen/ da es nun offenbahr ist daß es Teuffel sind. Inficias ire minime possum, superioribus seculis propter fraudes monachorum vehementer de existentia Spectrorum dubitatum esse, siquidem illi ut commoda quaedam sibi compararent, variis ludibriis atque fallaciis usi fuerunt. Sequenti enim modo lego in *Disp. illustr. D. Stryckii: de veritate Spectrorum superioribus seculorum temporibus vehementer dubitatum est, ab iis praecipue, qui supra vulgus sapiebant, nihil miror cum nimis enormes atque crassae monachorum fraudes, qui fictis Spectrorum territionibus, nescio quae commoda sibi conciliare consveverant, suspecta omnia tunc reddiderint, dum variis ludibriis incautos decipiebant, imprimis religionis aut potius superstitionis suae confirmandae gratia, haec ille.* Monachorum itaque fraudes effecisse, ut plerique superioribus seculis daemones apparentes negaverint, extra dubium positum est; minime vero exinde hodie probari poterit, Spectra non visibili ratione apparere. Falsae vero sunt apparitiones animarum uti monachi propinquis demortuorum hoc imprimere studebant, et adhuc hodie student, eam tantum ob causam, ut justa mercede conducantur ipsorum deprecationes, quo citius uti dicunt, animae dimitterentur e purgatorio. Plura hac de re refert *Del-Rio disqnisit. magial. Tom. I. pag.* 233. *item Pexenfelder concionat. histor. part. I. pag.* 331. *Schleid. lib. IX.*

THES. VII.

Revera autem esse Spectra, multis porro argumentis probare potero, hoc quoque in sequentibus satis clare apparebit. Temporibus Lutheri non omnes Spectrorum apparitiones negatae, sed vana tunc temporis a sapientibus est opinio habita, de reditu animarum hominum mortuorum. *vid. Schleidan. lib. IX.* Omnia igitur, quae de mortuorum animis referunt fallaces monachi, falsissima sunt, propterea quod animae mortuorum quiescunt, judicium DEI, extremumque diem expectant, factaque semel separatione corporis et animae, nunquam anima hanc in vitam redire poterit. Omnia autem Spectra per Satanam excitari affirmo, uti et hoc testatur *Schleid. lib. IX. it. Ludovicus Lavaterus Theol. Tigurinus*, qui probat existentiam Spectrorum,

rum, affirmatque, Spiritus et Spectra omnino existere, et hominibus occurrere, et per diabolum excitari. Omnes porro, qui negant hodie spectra, non ignorant, esse quasdam illusiones diabolicas, et quanquam verbis has negant: contrarium tamen ipsorum testatur conscientia. Studio quidem novitatis vanaeque consequendae gloriae adhanc permoventur sententiam, cum rem optime cognitam habent, hancque multis rationibus sibi persvadere, multisque exemplis, sacris et profanis possunt. Cum vero negant hanc existentiam spectrorum, tantum sequuntur opinionem *Democriti*, *Averrois*, *et Cassii*. Merito igitur hac in re ipsorum vocandi nominandique sunt asseclae et socii. Neque desunt argumenta seu documenta in naturae theatro, ex quibus Philosophus quoque non obscure colligat, dari spiritus ab omni materia separatos per se existentes. *Conf. D. Balduin. in Casib. Consc. lib. III. cap. 2. quaest. 1. pag. 571. Ipsa natura docet esse diabolos. Nam non tantum pueri, sed et adultiores in tenebris, et locis solitariis meticulosi sunt, formidant spectra et incursus daemonum.* Quod certe indicium est luculentum, esse Spectra, vel daemones, qui hominibus ubique locorum insidiantur.

THES. VIII.

Existentiam Spectrorum antiquae etiam ecclesiae doctores et patres concedebant, hancque testati sunt *Origenes, Augustinus, Basilius, Ambrosius*, etc. Idque nostris temporibus affirmant *Del-Rio in Disq. magicis, Bisciola*, von der Erscheinung *Samuelis. Martinus Zeilerus, Kircherus in mund. subterr. Freudius, et innumeri alii.* Assentiunt quoque huic affirmativae sententiae verae et orthodoxae doctrinae Theologi, non contradicunt juris peritissimi, conceduntque medici sapientes, ac fere omnes philosophiae doctores. Experientia etiam firmiorem meam reddit opinionem, multaque clarissima exempla assertum meum confirmant, qualia adducere non operae pretium esse puto, cum omnibus ac singulis ejusmodi nota cognitaque sine dubio erunt.

THES. IX.

Caeterum pacta Sagarum cum malo spiritu sancita meum corroborant assertum; dari siquidem magos et lamias, Judaeorum gentiliumque olim fuit opinio, testanturque hoc plurimi scriptores, qui de Sagis earumque poenis sat spissa consignarunt volumina. *vid. Bodin. in tract. de daemonologia, item Jacob. I. Rex Angliae, item Josephus Glangvil. Del-Rio, Godelmannus, Thummius, Crusius, Fridericus Mindanus, Nicol. Remig. in daemonol.* Nonnulli e contrario reperiuntur, qui in totum negant, unquam fuisse aut esse lamias vel sagas, eoque minus pactum quoddam cum malo spiritu sanciri posse. Hac etiam de re, sententiam negativam defendentes scripserunt: *Franciscus Ponzinibius JCtus Italus. Wierus, in tract. de praestigiis daem. Renigaldus*

B Sott,

Scott, nobilis Anglus in lib. detectionis artis magicae; qui omnem magiam impugnavit, serio contendens, deliras anus semet veneficas credere.

THES. X.

Huic sententiae Reginal. Scott. adhuc hodie quidam assentitur, multisque argumentis, sed satis infirmis probare nititur, nullas esse lamias, multo minus esse pactum quoddam cum malo spiritu sancitum, nec daemonem corporaliter foedus inire posse. At enim vero multis rationibus haec assertio infringi potest. Quod enim, quando daemon apparet, non esse imaginarium quid, plurimi viventes concedunt. Quis in dubium vocare vellet, daemonem, qui naturam cujuslibet inferioris, conditiones, et proprietates melius, quam omnes mundi sapientes novit, non posse aerem condensare, et ex illo aut ex alia quadam materia corpus aliquod conficere, et illud juxta figuram hominis, aut asini, aut equis disponere. Quo corpore confecto, licet animam nullam illi dare posit: tamen circa motum localem omnia illa operari, quae operaretur anima, si esset in illo. Nam potest tale corpus assumtum movere manus, pedes etc. Actus vitales autem excipiendos hic esse puto; semen, quod Graeci σπέρμα vocant, emittere quoque nequit. *vid. Alphonsus a Castro in opusc. de sortileg. et malefic. haeresi. cap. IV.* Si itaque hoc verum est, quod diabolus corpus aliquod visibile in medium proferre valeat, tunc etiam quam facillime quilibet colligere potest, quod ille tanquam potens spiritus quoque corpus quoddam, quod vel a seipso praeparatum, vel jam in medium productum, qua ratione etiam fiet, assumere illudque movere possit. Cum enim admirandae daemonum praestigiae recta considerantur ratione, ut et spectra, quae saepenumero sunt, et videntur, quilibet affirmare deberet, diabolum corpora posse assumere. Plutarchus fidem verbis meis facit, de spectro referens, quod Dioni, et Bruto finem vitae significavit, et eventus respondit. Brenno templum Delphicum oppugnanti, ut testatur *Justinus lib. XXIV.* apparuerunt in specie juvenis et virginum armatarum daemones, hanc apparitionem insecutus fuit motus terrae, tanquam pugna terrae cum Gallis, ut maxima pars eorum prostrata fuerit. Quis dubitat igitur, has virgines diabolicas spectra a daemone excitata fuisse?

THES. XI.

Cum porro hoc verum, uti in superiori thesi demonstratum, quod Satanas corporaliter apparere possit, tum quoque facile sequitur, hunc astutum spiritum et pacta cum mortalibus contrahere valere, probatque hoc *Paulus Grilland in tract. de Sortilegiis cap. III. Contrahuntur aliquando inter homines et daemonem amicitia quaedam, et pestifera societas, ex qua turpissima mala, et turpissima*

opera

opera conficiuntur. Hic porro concedit, diabolum ex substantia quadam posse assumere corpus, *vid. ejus tract. sup. cit. cap. VII.* vid. quoque Excell. Scharffii Pnev. lib. 3. cap. 5. ubi ita dicitur: *Spiritum saepenumero apparere in corpore unito, sub specie visibili, id quod experientia non raro attestatur. Motio corporum quoque convenit spiritibus, qua varie de loco in locum trajicere valent corpora naturalia.* Hoc affirmant etiam *Thomas de Aquino, Bonaventura de Tarantasia, Duranius, Herveus, Beraldus Odonis* et alii doctores, qui hac de materia scripserunt. Quod vero tam multi eruditi viri affirmant, multa exempla tam sacra quam profana demonstrant et declarant, experientia denique quodidiana omnium rerum magistra satis clare ostendit, huic fidem habere non iniquum esse, quilibet judicet. Notari hic meretur locus et assertum *Hieronymi Mengii Vitellianensis in fuste suo daemonum, ad malignos spirit. effug.* Hic enim sequenti modo loquitur: *Cap. VIII. Quia similem potestatem habent daemones et boni angeli super corpora ab eis assumta, quam habebunt super corpora propria glorificata animae beatorum, in quarum potestate erit, quod corpora eorum videantur, vel non, vel ab uno, vel a pluribus a longe vel prope. etc.* Ex his satis clare perspiciendum est, corpora omnino a malo genio assumi posse. Si corpora assumere, ipsi non est impossibile, tunc quoque non impossibile erit illi spiritui malo, pacta cum hominibus inire, quod et non negat *Hieronymus Mengius cap. XII. lib. sup. cit. Bodini* judicium, quod de iis fert, qui nullas lamias nullasque apparitiones diabolicas, multo minus pacta daemonum cum hominibus esse concedere volunt, notatu dignissimum est. Hunc enim in modum loquitur: *Omnes hi, qui vel spectra negant, vel pacta cum malo spiritu sanciri minime posse putant, maximi certissimique sunt magi. Hi enim, ne tales videantur, hac utuntur astutia, quod scil. et pacta, et apparitiones diabolicas negent, ut hoc modo patrata scelera eo melius occultare possint; haec enim est diaboli praecipua doctrina, quam magis, lamiis et veneficis proponit, quod scil. negent diaboli existentiam, ac pacta cum hominibus daemonem inire posse. Plura vid. in ipsius tract. de daemonol.* Quod itaque Satanas corpus assumere possit, etiam testatur Nicol. Remigius in daemonol. lib. I. cap. XVIII. Nullam tamen formam sibi adaptat libentius quam hominis, quod ea ad collocutiones convenientissima sit. Verum nunquam formam illam tam commode sibi

affingere valet, quin fucus etiam crassioribus appareat. Nam aut in vultu foeditas est, aut turpitudo, aut uncis hamisque, quales obscoenis vulturibus insunt, manus pedesve depravatos habet, aut denique in solida atque insigni aliqua nota, quae naturae immanitatem prodat, conspicuum se ostendit. Spiritus quidem omnes et singuli natura sua corporis expertes esse concedo, mecumque omnes pnevmatici; substantiae quidem sunt non corporeae, non materiales, sed immateriales et spirituales; natura enim spiritus est, omnem materiam et corpoream conditionem respuere *vid. Arist. lib. XII. Metaph. item vid. Scharff. lib. I. Pnev. cap. I. p. m. 11. 12. it. 29. item M. Andreas Prucnerus in comp. Pnev. pag. m. 15. §. 5.* et ex aëre vel ex densiori aliqua materia illos corpora sibi pro tempore atque usu comparare, notum est. Affirmant hoc *Platonici philosophi, ut et antiquae ecclesiae patres Augustinus in lib. de nat. daemon. item D. Basilius in cap. X. Esa:* scribit *daemonum corpora aliquando esse aerea, aliquando ignea, saepe etiam ex utroque elemento temporata. Jamblicus et Psellus de daemonibus dici non posse, asserunt, quanta varietate ludant, modo se in brevissimam molem contrahentes, modo in amplissimam exporrigentes, modo viri apparentes, modo occurrentes ut foeminae, leonis more frementes, saltantes ut pardalis, latrantes ut canis, atque in utris vasisque figuram sese aliquando transformantes. Jambl. in myst. Aegypt. Psellus in cap. de daemon. Alexander ab Alexandro lib. 2. Genial. dier. cap. IX. Krantzius lib. IV. cap. V. Metrop. della Valle,* in den vierten Sendschreiben seiner Reise. *Manlius in locis commun. Cramerus in meditat. hist. Cent. I. cap. LXX. item Lercheimerus.*

THES. XII.

Saepenumero adhuc hodie in assumtis corporibus malus spiritus apparere solet uti exempla innumera adsunt. Si enim Indorum occidentalium scriptores evolvuntur, praecipue *Alvaratus a Minues, Ovieda, et alii*, qui eorum mores scriptis mandaverunt, in illis legimus, frequentissimos esse daemonum occursus, modo hac, modo illa animantis facie sese ostendentium. In quot enim vultus atque ora immutatos illos viderint nostrae aetatis sagae ac lamiae, mirari debemus. Modo sub forma avis per fenestram involantis inviserit Satan has, item sub canis atri forma visus est daemon, aliquando quoque cancri instar obversatus est malus genius, et modi apparendi tam innumeri sunt illius, ut satis vix exprimere valeam *vid. Nicol. Remigius in daemonol. lib. I. cap. VII.* Ex quibus omnibus apparet, si adhuc hodie diabolus corpus assumere potest, certum est, illum quoque in tentatione

Chri-

Christi assumpsisse corpus quoddam, cumque id plurimi doctissimorum affirmant, omnino rejicienda est opinio illorum omnium, qui asserunt, spiritum non posse assumere corpus, cum contrarium et gentilium comprobatur testimonio. Ita enim canit *Virgilius lib. VII. Aneid.*

- Tot se se vertit in ora!
Tam saevae facies! tot pullulat atra colubris.

Quod et quotidiana experientia testatur. Vana itaque horum est opinio, qui nullas lamias hoc ex fundamento esse arbitrantur, quod nimirum diabolus corpus assumere minime posset, et ita corporaliter foedus cum sagis inire non valeret.

THES. XIII.

Sequens ab illo, qui negat pacta, et ita quoque lamias, prolatum argumentum, quod scil. si diabolus posset corpus assumere, falsa foret assertio Christi: Spiritum non habere carnem et ossa, nullius prorsus est momenti, cum ex ipsis principiis philosophicis veritas demonstrari possit. Distinguendum hic enim esse, quilibet noverit, inter corpus proprium et aliunde assumtum; de corporibus itaque propriis loquitur Christus, quod nempe nullus spiritus proprium habeat corpus, qualia corpora sunt hominum, brutorum etc. non vero de posterioribus ac aliunde assumtis. Proprie igitur loquendo spiritus carnem et ossa non habet; hoc enim naturae ipsius, ut supra demonstratum, repugnat. Spiritus vero, cum corpus quoddam assumunt, non intime corpori uniti sunt, minimeque appellari queunt formae informantes corporis, sed tantum formae assistentes. Si enim antiquis temporibus daemones apparuerunt, corporibus assumtis induti fuerunt, ex aere forsan condensatis, aut alia quadam materia factis ad tempus saltem, quo hominibus apparere potuerint, nullusque facile erit, qui omnem compositionem spiritus neget. Habent enim compositionem ex subjecto et accidente, ex genere et differentia, ex essentia et subsistentia, actu et potentia, compositio vero ex materia et forma, qualis in corporeis est speciebus, illis minime tribui potest. Haec enim compositio non invenitur, nisi in rebus corporeis, nec educitur e potentia materiae, ut animae plantarum, et brutorum, quae inde dicuntur formae materiales. Aliud igitur est, spiritus apparere hominibus vestitos veris corporibus, quae constant ex carne et ossibus; aliud vero est, spiritus naturae suae conditione corporeos esse. Illud negari non potest, hoc vero removetur de spiritibus. *vid. Brochman. Tom. I. Syst. p. m. 235. Calov. Tom. IV. Syst. p. 4. 5. seqq.* Unio enim inter Spiritum et assumtum corpus, non essentialis, nec personalis, sed accidentalis est, vel *ut B. Luth. loquitur: formalis est ad certum tempus hominibus facta. vid. D. Gerhard. Isag. pag. 500. D. Friedl. Med. pag. 289. D. Kromeyer. Theol. Pos. Pol. pag. 292.*

THES. XIV.

Cum ideo probatum dedi, spiritus omnino ad certum quoddam

dam tempus assumere posse corpus, demonstrare porro mihi convenit, quod diabolus saepe cum hominibus foedus ineat. Ipsa vero experientia, consensus virorum eruditorum, ut et libri hac de materia conscripti fidem verbis meis faciunt. Hoc quidem libenter concedo, quod diabolo cum omnibus ac singulis promiscue foedus inire, minime placeat, hocque in negotio eligere maledictum illum genium, credo, homines simplices et facile credentes, (ut sunt mulieres, virique interdum minus prudentes) quibus facile illudere abutique potest. Satanas enim aut libidinibus et amori deditos potiundi ostendata spe lactat, aut pertaesos egestatis diutinae, larga atque ampla opum aliqua promissione pellicit, aut ad ultionem ob acceptam forsan injuriam inflammatos, oblata explendi odii facultate, percellit, aut denique quavis alia corruptela, dulcedineque depravatos in leges suas trahit. *vid. Viadana lib. de malig. Spirit.* eumque in finem tandem ad colloquium eam personam impellit, ipseque assumto corpore, quod sub aspectum cadit, apparet. Primo quoque, cum malus spiritus hominem alloquitur, cumque ipso familiaritatem vel pactum init, huic libenter in forma humana se praesentare solet, ne propter insconsvetum aspectum terrore percutiatur talis, potius vero huic sub specie probi cujusdam fidem habeat; deinde vero, cum metus terrorque ob multivariam conversationem reliquit talem, tunc assumit, prout tempus ac commodum ipsius postulat, canis, felis, leonis, ursi, etc. et aliorum animalium figuram. *vid. Eras. Franc. in tract. quem vocat.* Höllischer *Proteus. it. Nicol. Remigius lib. I. daemonolat. cap. XXVIII. pag. m. 136. seqq.* Pactum vero quoddam contrahere cum homine quam facile potest, cum scil. difficultatibus labefactatum quenquam nanciscitur, omnia exempla fere affirmant, hunc infensissimum hostem totius generis humani inde orationem tunc auspicari solere, quod ejus vicem doleat, cupiatque adesse atque opitulari, sed neutiquam hoc se praestare posse, nisi prius in suam potestatem transiret, seque pro hero haberet *vid. Scriv.* in den verlohrnen Schäfflein. Cumque postea homo id illi pollicetur, ipsique assentitur, magnam pecuniarum vim et copiam huic promittit, eamque, si cupit, sedulo porrigit, *vid. Nicl. Remigius lib. I. daemonol.*

THES. XV.

Falsa porro est opinio illorum, qui pactum lamiarum cum diabolo ideo negant, quia nullus hujus esset effectus ac usus. At enim homines in summa paupertate constituti, sancito cum malo genio foedere, magnas pecuniarum summas postea consecuti sunt, aliaque commoda mundana innumera impetraverunt, eam etiam ab causam minus recte asseri potest ex parte hominum, nullum esse foederis et pacti usum. Daemon quoque summum pacti hujus

hujus commodum habet, animas nimirum illorum mortalium, qui pactum cum ipso iniverunt, non vero horum animas tantum, sed et multorum aliorum. Nam fraudibus alios decipiunt in potestatemque diaboli deducunt, commodumque diaboli ita augent. *conf. Anton Torquemada* in der dritten Tage Reise, *item Benedict. Carpzovii practica Nov. Crim. part.* 1. *quaest.* 5. *IV. VIII. fol.* 334. *et* 340. 342. Et quanquam non nego, multos ac plurimos sine ope diaboli, levi industria et astutia, modis vero honestis et licitis, honores, pecunias, multaque ejusmodi similia acquirere posse: attamen hi, cum id otio, ignaviaque a Diabolo accipiunt, quod alias studio et cura indefessa sibi comparare debent, libentius huic se dant, et conspernunt salutem animae et corporis, quod tot exempla, et quotidiana experientia edocet.

THES. XVI.

Mancipia diaboli jamjam illos esse affirmo, qui voluptatibus, avaritiae, ambitioni, et ejusmodi vitiis pluribus dediti sunt. Quoniam vero spiritus ille malus timet, ne illi se converterent aliquando, seque a sua potestate liberarent, illos foedere aliquo sibi adstringere mavult, ut hac etiam occasione postea hominibus piis damna inferre valeat, (quod tamen sine divina permissione minime fieri potest) pactum multis promissionibus impetrat, ab impiis et adhuc vitiis deditis. Veram igitur hanc esse sententiam, quod nimirum sint revera pacta diabolica, probant multa exempla ethnicorum, et adhuc hodie quotidiana ac vera experientia consentit. Non fabulosum ideo esse puto, quod dicatur sagas esse, ipsisque adesse daemones, cum illis hunc malum spiritum coram congredi. Omnes enim, qui hodie asserunt, nullas esse lamias, nullumque posse cum malo genio sanciri foedus, non ignorant, quod hoc omnino possibile verumque sit, et fieri possit: tamen studio novitatis ac vanae ostentationis permoti negant, quod optime sciunt, horumque conscientia affirmat. Causa vero praecipua, cur haec omnia in §. superioribus narrata rejiciunt, arrogantia est. Cum enim quilibet suo intellectu capere nequit, quod alii optime percipiunt, ipsi vel impossibile vel falsum videtur, uti *Heraclius* et post hunc *Theophrastus ait: Res mundi pulcherrimae ab arrogantia hominum ignorantur, dum nihil statuunt credere, nisi humana mens rationem illius percipit.*

THES. XVII.

Sunt adhuc quidam, qui objicere solent, non esse foedus diabolicum, hancque suam falsam vanamque sententiam sequenti argumento probare firmamque reddere arbitrantur, cum asserunt: multos summo studio ac industria indefessa quoddam colloquium cum malo spiritu instituere, occasionem ac ansam quaesivisse, hoc vero, quod Satanas istis apparuisset, et cum ipsis collocatus sit nunquam, nulloque modo impetrare potuissent. His vero doctrinam *Gerh. Vossii* loco responsionis oppono, qui *lib. I. orig. et Progr. Idolat. pag.* 46. ita loquitur: *Est, ubi Deus non permittat: ut praecipuae in potentibus, ne nimi-*

nimirum orbi incommodent. Est, ubi daemon tale refugiat consorcium. Nec enim omnes aeque ei conducibiles, et vix alii quam simplices et creduli, cujusmodi fere mulieres, vel affectibus plane mancipati, ut qui libidine aut vindictae studio aestuant, qualibus facilius illudit et abutitur, haec ille. Enimvero mihi certissime persvadeo, eam ob causam diabolum aliquando impiis apparere nolle, quoniam jamjam in sua sunt potestate, imo hi nullum diabolum, multo minus spectrum diabolicum credunt. Si igitur his se ostenderet, facile fieri posset, ut ad conversionem properarent, ita manibus diaboli effugerent, mecumque consentit *Eras. Franc. in praef. tract. quem vocat* Höllischer *Proteus.* Hic citato loco horrendam narrat historiam, de quodam natione Gallo, qui nocturno tempore cum aliis iter faciens dixit, se neque Deum, neque diabolum, neque infernum, neque coelum, neque spiritum, neque angelos credere, hancque annexuit rationem, se adhuc nunquam quenquam illorum effectum vidisse, licet totam fere permigrasset Europam, et ut fidem verbis dictisque suis faceret, equo desiliit conclamitans: si quis est in rerum natura Deus, aut diabolus, aut angelus, aut quicquam ejusmodi, hic veniat, mecumque sermonem instituat! Si igitur eam ob causam statim colligere vellem, nullum esse Deum, nullum diabolum, quia huic, qui ipsum videre voluisset, non apparuisset, vehementer fallerer. Ex his adductis et ex antecedentibus §. apparet satis clare, omnino esse spectra, haec quoque sub visibili ratione, ac certis corporibus ad tempus assumtis cum hominibus pactum inire posse. Ejusmodi enim homines, qui negant hoc assertum, semper confutantur confessionibus lamiarum, ac eorum, qui pacta sancita cum daemone aliquando iterum relinquunt, seque convertunt; siquidem hi omnes fatentur, Satanam hac vel illa figura ipsis apparuisse, secum collocutum esse. Verbera quoque, quae hominibus a daemone nonnunquam infliguntur, satis demonstrant, non esse imaginationes tantum.

THES. XVIII.

Multa adhuc in medium proferri possent argumenta, quae existentiam Spectrorum, et pacta Diabolorum cum mortalibus quibusdam sancitorum ostenderent; at enim vero cum charta haec destinata plura jam capere nequit, finis hujus primae disputationis faciendus, in qua existentiam Spectrorum quibusdam argumentis probatam reddidimus, adduximusque causam, quare nostra ante secula spectra negata fuerint; porro declaravimus, pacta omnino cum malo genio sanciri posse, rationesque nostrae quae sententiae contrariae videbantur, pro ingenii imbecillitate removere studuimus. Caeterum nos, hancque disputationem aequo judicio B. L. permittimus promittimusque, operam nos daturos, ut, in sequentibus cum DEO habendis, quae existentiam Spectrorum Sagarumque pacta demonstrant, ulterius adducantur.

* * * * * * *

Leg. in Proem. lin. 36. Ruffo pro Ruffio. leg. in Thes. II. lin 22. ut quidam Autores testantur, leg. in Thes. II. lin. 26. posit, leg. in Thes. V. lin. 3. fuerunt, leg. ibid. lin. 9. *quodnam*, leg. in Thes. VI. lin. 32. Haec ille.